



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 1. De voti natura &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

sant. Deinde in particulari excusat *gravis infirmitas*, vel *periculum* in eam incidendi. *Dispensatio Pontificis. Defectus Breviarii*, nisi *Officium*, vel pars integralis teneatur *memoria*. *Necessitas prestandi Officia charitatis*, vel *talis occupatio*, que sine gravi scandalo *postponi nequit*.

CAPUT II.

De voto, ejus commutatione, & irritatione.

§. I. *De Voti natura, &c.*

Votum est, *Promissio deliberatè, ac spontaneè Deo facta de meliori bono possibili*. Quælibet particula definitionis benè attendatur.

Collige 1. *Materiam voti non posse esse aliquid illicitum*, utpote ad quod obligari non possumus. 2. *Opus præceptum cadere posse sub voto*, nam hoc opus Deo gratius est, quàm ejus oppositum; contra, opus indifferens non esse materiam voti, quia non est Deo gratius, quàm ejus oppositum. 3. *Votum de vitandis toto vitæ decursu omnibus peccatis venialibus collectivè sumptis etiam esse nullum*, quia est de re moraliter impossibili.

Votum aliud est absolutum, aliud conditionatum. Aliud expressum, aliud tacitum, seu virtuale.

Dividitur etiam in reale, personale, & mixtum. *Reale* dicitur, quod est de re, vel actione per alium exercenda. *Personale* est, quod fit de actione per ipsum voventem exercenda, ut votum

jejunii &c. *Mixtum*, quod est de actione utriusque generis, ut votum dandi eleemosynam, simul & ingrediendi Religionem.

Obligatio Voti ex suo genere gravis est, adeò ut prævaricatio ejus tantùm excusetur à mortali propter inadvertentiam, aut levitatem materiæ; ratio est, quia ex genere promissio obligat sub gravi, ergo & votum.

1. An valeat votum cum animo illud prævaricandi emissum?

R. Aff. Æquè, ac contractus animo defraudandi, seu contractum violandi initus, quia hæc duo stant simul, velle se obligare, & velle obligationem fraudare.

Irratio voti est, *ejus annihilatio facta per illum, à cujus voluntate voti valor dependet.*

2. Quinam possunt vota irritare, & quorum?

R. 1. Dum aliquis est sub alterius jure, & potestate dominativa, & quasi dominativa, tunc vota illius possunt irritari ab habente talem potestatem. 2. Idem est de votis, quæ possunt præjudicare decenti, ac liberæ administrationi familiæ. Hinc maritus potest irritare vota uxoris, quatenus sunt impeditiva officiorum conjugum &c. 3. Idem potest dominus respectu votorum sui mancipii, quatenus impediunt obsequia debita. 4. Idem potest superior respectu votorum subditi religiosi propter omnimodam ab eo dependentiam: excipitur tamen votum ingressus Religionis arctioris, à jure permitti.

3. An

3. An Superior possit propria vota irritare?
 R. Neg. Etiam si in simili materia suorum subditorum vota possit cassare, quia est Superior alterius, non sui.
4. An sit in potestate mariti irritare votum continentiae spontè, & propriâ authoritate ab uxore emissum?
 R. Neg. Quia maritus per hoc non patitur præjudicium: quamvis enim uxor post tale votum non possit petere debitum conjugale, tamen eo non obstante adhuc teneretur reddere, & per hoc satisfacit marito, quippe qui non habet jus, nisi ut petat.
5. An, & quomodo vota puberum, aut impuberum possint à parentibus, vel tutoribus irritari?
 R. Vota impuberum posse irritari constat Can. *Mulier* Causa 32. q. 2. & Can. *Puella*. Causa 20. q. 2. Illa ipsorum dependentia à jure sancita est, quia in ista ætate præsumuntur carere maturitate judicii, ita ut propterea parentes vel tutores possint contradicere.

Si tamen impubes ante annos pubertatis votum emisit, & jam pubes factus votum ratificet, non quidem ex errore, quo putabat se obligatum, sed absolutè, & ex certa scientia, tunc votum non potest amplius irritari, quia pubes, sicut ad vovendum, ita ad ratificandum, quod antea vovit, sui juris est.

Quod attinet ad votum puberum, illa eatenus subjacent patriæ potestati, quatenus impediunt regimen familiæ, vel aliquid paternæ

derogant potestati, ut sunt vota peregrinationis, item vota de re præstanda, cujus administratio non competit puberi, independenter ab iis, quibus subest.

Pro intelligentia terminorum jam à nobis in hac materia usurpatorum, minorennis in jure vocatur, qui nondum implevit annum ætatis 25. Pubes verò, qui absolvit annum 14, si sit masculus, vel duodecimum, si femella: ex quo à contrario patet, quis ex utroque sexu vocetur impubes.

Commutatio voti est, *alterius operis, in locum illius, quod vovimus, sub eadem obligatione subrogatio.* Hoc autem fit substituendo vel opus melius, vel Deo gratius, vel minus, vel æquale.

6. An vovens teneatur ad primum votum redire, quando commutatione factâ, & acceptatâ, opus subrogatum fit impossibile?
- R. Neg. Quia commutatio sustulit obligationem prioris voti.
7. Quid requiritur, ut votum commutetur in opus minus?
- R. Justa causa, & autoritas, quia est inchoata quædam in voto dispensatio, proindè non requiritur tanta causa ad commutandum, quàm ad dispensandum in voto.
8. Casu quo Pontifex commutet aliquod votum sibi reservatum, an possit illud rursus in aliud commutari per Episcopum, vel alium habentem autoritatem commutandi vota non reservata?
- R. Plausibiliter aff. Quia obligatio voti translata

lata est ad aliam materiam à reservatione liberam, & est veluti novum votum alterius rationis; quam ob causam poterit etiam in eo per Episcopum dispensari.

§. 2. *De Dispensatione.*

Dispensare in voto propriè est, *Obligationem voti vice, & nomine Dei relaxare*: proinde dispensatio in voto sine causa concessa, non tantum est illicita, sed etiam invalida; nam Deus non censetur consentire in relaxationem sui juris, seu obligationis voti erga se contractæ sine causa. Proinde

In voto dispensans consideret honorem Dei, utilitatem Ecclesiæ, vel voventis &c. Similes causæ requiruntur, & sufficiunt ad dispensandum, Quia verò sæpè non constat de causæ sufficientia, dispensationi prudenter miscetur commutatio loco voti, V. G. castitatis imponendo jejunium, eleemosynam &c. juxta voventis statum.

1. Quam facultatem dispensandi concedunt aucthores Confessariis Ordinum mendicantium?
2. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 13. num. 108. Confessores, inquit, Ordinum mendicantium possunt ex privilegio Pontificis dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, (sc. jure ordinario) excepto voto peregrinationis ultra duas dietas, id est 40. milliaria Italica, ut patet ex Compendio privilegiorum FF. Minorum num. 115. quorum Privilegia cum reliquis Ordinibus mendicantium communicantur &c.

Ne